

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Utinam mihi divinitus concederetur, Vos adhuc ante meum obitum invisendi occasio. Habere sanè, quæ de rebus meis privatis & publicis conferrem copiosius: Et sunt nonnulla, quæ libenter in sinum tuum deponerem. Sed fiat voluntas Domini. Cui & te, tuamque privatam, & in ea charissimam & castissimam costam tuam (quam meo & meæ nomine resalutabis, amanter, officiosè, reverenter, nec non publicam Ecclesiam, ex animo commendo. Vale Vir charissime, clarissime D. Doctor, frater dilectissime, & me meosque (nec non hosce novos conjuges nostros) tibi etiam deinceps commendatos habe. Raptim Ulmæ, 27. Aprilis, Anno 77.

*Tuus in Domino frater*

Ludovicus Rabus, D.



CCXXIV.

**M**iraberis fortassis, Vir clarissime, & mihi in Domino honorande frater, quod tam diu nihil literarum à me accipias. Ego dum idem miror, utrinque excusati sumus, magis tamen ego, quàm tu, qui scias, me occupatissimum. Quid agam, & quid hic geratur, & quo loco sint res in scholis & Ecclesiis harum regionum, ex mea oratione vili intelliges, quæ statum utcumque depingit. Elector magno & piissimo zelo agit, Lutherus Wittebergæ mortuus & sepultus à mortuis resurrexit, ut vides, aut caput saltem extulit sepulchro, ut corpus sequatur. Interim ego laboribus oppressus propemodum morior. Negotium Concordiæ feliciter currit. Quo minus scriptum Torgense ad vos transmissum sit, non aliam ob causam est, quam eam solam, ne duplicetur labor. Prius enim Principes inter sese contenderunt. Nunc cum de successu nihil amplius dubitem, spero, ita paratum scriptum, ut sincere Theologi nihil sint desideraturi. Non enim est unius Viri labor, etsi me propemodum confecit. Accipietis ergo primo quoque tempore magno cum gaudio & animi exultatione. Quod te scire volui. Interim meum, ut boni consulas, oro. Elector enim Saxonæ, quantum poterit, festinabit. Benè & feliciter cum uxore & liberis vale. Collegis tuis omnibus, inprimis Domino Flinnero & D. Grempio, meo nomine reverenter salutem & officia mea parata dicas. Raptim Lipsiæ, 4. Maji, 1577.

*Tuissimus*

Jacobus Andreæ.

A a a

CCXXV